

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis  
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus  
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.  
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

**Cocceji, Samuel von**

**Lipsiæ, 1766**

LIB. II. TIT. XI. Si Quis Caut. In Jud. Sist. Fact. Non Obtemperaverit.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9044**

**R**ESP. Differentia est (1) Quod in *tit. 7. Ne quis eum, qui in jus vocatus, vi eximat*, agatur de eo qui vocatur, & dum comparere vult, eximitur, *hic* de eo qui vocatus comparuit, & cautionem præstitit, sed jam ab alio impeditur, (2) in *tit. 7. meta poena fuit, hic* ad interesse agitur. *L. 1. §. 3. h.* Alias differentias vide apud *Brumm. ad W. h. q. 1.*

LIB. II. TIT. XI.  
SI QUIS CAUT. IN JUD. SIST.  
FACT. NON OBTEMPERAVERIT.

Qv. I. *An titulus hic hodie usum habeat?*

**V**idetur *NEGANDVM*, quia hodie non amplius cavetur iudicio fisci: *Stryk. U. M. lib. 2. t. 8. sp. 1. 6. q. 1.*

**R**ESP. Omnino cavetur si iudici id visum fuerit *dist. q. 1.* vel si cautio promissa sit pacto: *Mev. p. 3. dec. 75. Dn. Stryk. d. tit. 8. §. 2. & 3.*

LIB. II. TIT. XII.

DE  
FERIIS ET DILAT.

Qv. I. *Quidnam sit dies civilis, quid naturalis, & quis utriusque sit effectus in jure?*

*Laut. p. 36. verb. dies civilis.* **R**ESP. *Dies Civilis* est qui lege civili est constitutus, & incipit a media nocte ad mediam noctem, *l. 8. h.* *Naturalis* est, non qui incipit a solis ortu ad occasum, uti *Autor* putat, sed qui continet 24. horas, quocunque tempore computari incipiant, *L. 3. §. 3. Min.*

*Civilis diei* computatio obtinet in omnibus negotiis civilibus, ut in *Usucapionibus, L. 6. l. 7. ff. Usurp. & Usuc.* idem in *pubertate, d. l. 8. h. t.* *Naturalis*, in negotiis ex æquitate naturali introductis, ut in omnibus negotiis prætoriiis, quia prætor sequitur æquitatem naturalem: Ut in *restitutione in integrum, L. 3. §. 3. Min.*

Effectus est, quod *dies civilis* cœptus habeatur pro completo: Indeque pro *pubere* aliquis habetur, statim ac ultimus dies *pubertatis* illuxit, *d. l. 8.* Et *usucapio* cœpto ultimo die pro *impleta* habetur, *d. l. & 7.* Sed *dies naturalis* computatur de momento in momentum, *L. 3.*